



402

400

406

396

411

391

451

351

301

387

Contra occidentem habuimus ex opposito civitatem sanctam, et ultra eam vidimus montem Sylo, et montem Ephraim, et terram Philistaeorum, quasi usque ad mare magnum. Contra meridiem vero vidimus montem Bethuliae prope Bethlehem, et montana Hebron, et Judaeam, et Idumaeam. Deinde ad considerationem loci ipsius nos convertimus. Est enim, ut praemisi, finis montis Oliveti, et est locus aptus pro castro, et videntur ibi fuisse structurae. Est etiam ibi supra cacumen una cisterna, et locus totus est delectabilis. Dicunt historiae orientalium regum, quod dum tres reges juxta Hierosolimam venissent, quod tenebrae operuerunt terram, et caligo populos eorum regum. Ideo civitatem ingredi non valebant. Rex autem Balthasar cum suo exercitu in hoc monte pernoctavit, sicut rex Melchior (BB) in monte Calvariae, ut dictum est fol. 117, A. Et rex Caspar in monte Gyon, et abscedentibus tenebris simul et simul in Jerusalem introierunt.

De loco ascensionis Domini et de ecclesia in eo constructa et de vestigiis Salvatoris nostri Jesu.

Recreati in monte Galilaeae reversi sumus per viam super jugum montis Oliveti, et contra austrum ambulavimus in alto contra quandam magnam semiruptam ecclesiam, ad quam dum venissemus, ascendimus per lapideos gradus in atrium, quod est ante fores ecclesiae, testudinatum Porro ante fores ecclesiae locaverat se quidam Sarracenus cum fuste, nec alicui indulsit introitum, nisi daret sibi madinum unum, quorum XXV faciunt ducatum. Soluta autem madino intromisit nos. Porro, in medio ecclesiae stat una magna capella, pulchra, rotunda, testudinata, in qua est locus sanctissimus vestigiorum Domini Jesu Christi, quae dereliquit saxo impressa, dum de eo loco in coelos ascendit. Stetimus autem ante capellam, et hymnos et orationes signatas in processionali de ascensione Domini altis et jocundis vocibus cantavimus, et introgressi quotquot poterant simul intrare, in facias nostras nos prostravimus, et sanctissima salvatoris nostri vestigia deosculati sumus et indulgentias plenariae remissionis accepimus. (††)

25\*

Ende

Anfang